

itaque vobiscum domum ferte et in eo diligenter legite, quando quidem nemo est, qui legere non possit. In hoc fieri doctores in cœlo possumus, etc.

CONCIO VI.

QUOMODO PER PASSIONEM CHRISTI REFORMATA SIT VOLUNTAS.

I. Accendit odium peccati. — II. Accendit amorem Dei. — III. Accendit ad patendum. — IV. Accendit spem. — V. Accendit ad gratitudinem. — VI. Accendit ad amorem et sequelam virtutum.

THEMA.

Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur? Luc. XII.

Duæ sunt potentiae hominis, quibus a cæteris differt animalibus, intellectus et voluntas: quæ tamen per peccatum misere sunt deformatae et corruptae; intellectus ita obscuratus, voluntas ita debilitata et depravata, ut nulla inter bestias et homines differentia esse videretur. Ex prima corruptione nata sunt tot idololatriarum, superstitionum et hæreseon genera: ex secunda voluntas facta est infirma, rebellis et ad malum prona, multoque magis propensa ad amandum se et sua, quam ad Deum ipsum. Ignorabant homines Dei providentiam, retributionem operum, iudicium et vitam et mortem æternam, virtutum pulchritudinem, vitiorum turpitudinem, regulam bene vivendi, imo Deum suum; et serviebant dæmoni, a quo decepti rapiebantur ad æternam noctem. Similiter voluntas eorum perversissima erat, fastidiebat virtutem, sapiebat tantum ea quæ carnis sunt. Unde Scriptura ait homines degenerasse in bestias, mutatos in carnem, etc. Psalm. XLVIII. *Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus et similis factus est illis.* Igitur ut hisce nostris infirmitatibus mederetur Dei Filius, pro nobis homo factus et passus est. Et licet toto vitæ suæ tempore in hoc incubuerit, ut mederetur his vulneribus doctrina et vitæ exemplo, maxime tamen et efficacissime præstitit id in passione sua. Et hoc est, quod ait Dominus, Luc. XII. *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur?* (Quod autem hunc ignem passionis suæ tempore potissimum missurus esset in orbem, ad illuminandum et inflammandum eum, patet ex verbis adjectis; addit enim: *Baptismo habeo baptizari, et quomodo coarctor usque dum perficiatur?* Certum autem est per bap-

tismum intelligi passionem.) Ignis autem duo præstat, illuminat, et accendit seu inflammat. Vidimus supra quomodo passio Christi illuminet intellectum ad vera et solida bona cognoscenda, nunc videbimus, quomodo accendat voluntatem ad bene operandum.

I. Passio Christi accendit odium peccati et contritionem excitat. Quomodo enim potest non odisse peccatum qui cogitet, illud causam dedisse morti Filii Dei? Si vel bos vel equus, aliave bestia infantem forte occiderit, eam omnes homines abominantur, omnes persequuntur, nemo facile ejus carnes edere vult; unde tales bestiae necantur, et alicubi suspenduntur, Exod. XII. vero talis bos vetatur comedi, et jubetur lapidibus obrui. Et tamen nulla est bestiarum culpa, si quem occident. Quando æquius irasci debet homo peccatis suis, quibus velut cornibus, uti bos insanus et cornupeta, Filium Dei confixit in cruce? Audi quid dixerit Jacob, quando filii sui Josephi a fratribus venditi vestem sanguine conspersam vidit, Gen. XXXVII. *Tunica filii mei est, inquit, fera pessima comedit eum, bestia devoravit Joseph.* Vide jam tunicam Filii Dei in cruce sanguine conspersam! Et quis ita eam eruentavit? Fera pessima, peccatum tuum, superbia tua, inobedientia tua. Aspis illa apud Alb. M. I. XXV. animal. v. aspis, cum notasset a suis catulis filium hospitis, apud quem diu sine noxa versabatur in Ægypto, venenatum et occisum esse, indignata interemit filios. Jam vero et nos diversamur in hospitio hujus mundi, non certe nostro sed Dei proprio: et tamen genuimus et gignimus adhuc in dies pestilentes catulos, qui filium hospitis nostri interfecerunt. O funestum partum! O venenatas proles; cur non ergo occidimus omnes illos catulos? Cur non conterimus peccata? Cur non cane pejus et angue aversamur? Sed dices: Quomodo peccata nostra Christum occiderunt? Respondeo occidisse occasionaliter, quomodo furtum filii est causa parenti, ut pro filio de furca redimendo, totam substantiam suam profundat, et in extremas calamitates deveniat, totaque vita mendicet, etc. quia amor filii impulit eum ad redemptionem ejus. Vidit Dei Filius, quanta calamitas sit æterna damnatio, ideoque miseratus hominum sortem, ut eos liberaret, extrema quæque agere et pati voluit. Licet ergo peccatum occasio tantum fuerit necis Christi hoc ipso tamen super omnia detestandum est. Certe Moyses vitulum aureum, quia occasio idololatriæ et consequentis cædis Judæorum fuit, contrivit et combussit, Exod. XXXII. Cur non igitur peccata nostra, quia necis Christi occasio fuerunt, similiter abominamur,

conterimus et comburimus igne contritionis? Porro nunc tempus est occidendi hos catulos, conterendi hos vitulos.

Noli autem cogitare, te quia non solus es, qui peccasti, ideo minori dignum supplicio: dicunt enim leges, quod non minorem mereatur poenam is, qui innocentem occidit ope aliorum aut societate plurium, quam qui solus occidit: et cum fure suspenditur, qui scalam furanti tenuit, vel pro eo excubias egit. Multi simul carnifices flagellarunt et crucifixerunt Christum; plurimi simul Judæi clamaverunt: *Crucifige, crucifige.* Et tamen singuli eorum merito censentur et puniuntur velut rei necis Christi: licet nullus eorum solus reatum commiserit. Et si tu vel unus ex illis carnificibus vel Judæis fuisses, si unum tantum ictum flagri Christo dedisses, vel unam vocem contra eum remisisses; nonne reus mortis illius esses, et haberes cur summopere doleres? Atqui unum peccatum tuum, unum lethalis ictus, una talis vox est. Multa peccata tua, multi ictus, multæ voces sunt. Plurima et quotidiana peccata tua, plurimi et quotidiani ictus et voces sunt.

II. Accendit in nobis amorem Dei; siquidem ipse prior nos adeo amavit, ut cum adhuc inimici ejus essemus, pro nobis redimendis Filium suum dederit. Unde si amare Deum pigeat, ait S. Aug. de catech. rud. c. IV. *saltem redamare non pigeat.* Multum per omnem modum Deo debere-mus, si vel per angelum aliquem, aut corruptibili pretio nos redemisset, quomodo forte dives quispiam argento redimit aliquem servum suum e servitute Turcica, vel carcere et mortis supplicio. Non ita nos redemit Christus, sed pro nobis se in servitutem tradidit, et potestati dæmonum commisit. Ipse pro nobis factus est maledictum, quando in ligno maledicto pendere voluit, ut nos a maledicto redimeret, et conferret nobis gratiæ benedictionem. Ipse pro nobis serpentis induit formam, et ut serpens ille æneus in ligno suspendi voluit, ut nos a morsu antiqui illius serpentis sanaret. Ipse paupertate sua nos vestivit, suis vinculis nos solvit, suis doloribus nos exhilaravit, suis vulneribus nos sanavit, sua morte nos resuscitavit: unde si magni sunt æstimanda, quæ Deus nobis dedit, majoris sunt, quæ pro nobis pertulit. Et si maximum beneficium est nostra redemptio, majus adhuc est, redemptionis modus. Quare S. Ambrosius jure dixit reliqua beneficia nos ad diligendum Deum invitare, hoc vero cogere. Et apostolus, II. Cor. V. *Charitas Christi urget nos. Quomodo si unus pro omnibus mortuus est, etc.* Si ergo in tantum nos amavit Deus, nos amantem non redamabimus!

II. PARS HIEMALIS.

Quis nescit ignem igne accendi? Et quantus in Deo charitatis ignis, quem venit in terras mittere, Luc. XII. mediante sua passione? Quis hoc igne non incalescat? Non accendatur? Certe propter hoc Isa. LXIV. prædicatur, tempore Messiae aquas arsuras igni. *Utinam dirumperes cælos, inquit propheta, et descenderes! A facie tua montes defluerent et aquæ arderent igni;* hoc est: *populi mundi inflammarentur charitate, ut ait gl. ord. ibi.* Defluxere montes, quando superba regum et imperatorum supercilia ad pedes Christi se abjecerunt, et amore illius liquefacta sunt: arserunt igni aquæ, quando etiam frigidissima mundanorum corda passione Domini intellecta, in amorem ejus exarserunt. O quam frigida ergo et conglaciata corda oportet esse illa, quæ tanto igne non incalescunt, non liquefiunt!

Certe si parentes tui, in sudore vultus sui magnam tibi acquisierunt hæreditatem, nonne eos amabis? Et quanto sudore ac labore peperit tibi Christus æternam hæreditatem? Sicuti cælestis hæreditas superat terrestrem, ita labores Christi, labores hominum. Hunc igitur non amabimus? Hoc amore ebria sponsa, Cant. II. ait: *Introduxit me rex in cellam vinariam* (sanguinis Christi videlicet, juxta id Gen. XLIX. *Lavabit in vino stolam suam*) *ordinavit in me charitatem. Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Cum ergo nos amore illo minime inebriemur, num hoc ideo fit, quia sponsæ ejus non sumus?

III. Accendit nos ad patiendum pro Christo ejusque amore quævis adversa; quis enim nolit modicum quid pati ob amorem ejus, qui tanta pro nobis passus est? Unde I. Pet. IV. ait S. Petrus: *Christo igitur in carne passo, et vos eadem cogitatione armamini, q. d. recogitatio passionis Domini sit vestra armatura ad similiter patiendum pro ipso.*

In litteris ex novo orbe ad nos datis scriptum est gentilem quemdam cum audisset a nostris, Deum pro nobis hominem factum et passum esse, dixisse, se, si id verum esse sciret, non dubitaturum pro Christo in rogam insillire et arde-re; mansisse proinde infidelem, quia capere id non poterat. Credimus nos hoc Christiani, et tamen pro Christi gloria levissimam contumeliam aut confusionem sæpe volumus ferre. Theodora illa apud S. Ambrosium, l. II. de virgin. (quam ad prostibulum detrusam ut liberaret miles suis vestibus induit, eamque egredi jubens, pro ea in carcere sub ejus veste mansit) cum videret liberatorem suum pro se duci ad supplicium, nequaquam sustinere voluit, ut cuius ope pudicitiam tutata fuerat, ei necis causa

fieret. Palam ergo proclamat se esse neci addictam, non ipsum: eum contra miles diceret, se iudicis sententia damnatum, non illam. Cum ergo ita certantes alter alterum a morte redimere vellet, ambo simul capitis obruncatione martyrium consecuti sunt. Certavit nobiscum Christus, se pro nobis offerendo ad mortem: certemus etiam cum illo, offerendo nos pro illo. Ita S. Margarita ad palmam martyrii prope-rans: *Cum, inquit, Dominus meus passus sit pro me, cur non et ego similiter patiar pro illo?* Denique istud est, quod ss. martyres recreavit in carceribus et tormentis: *Ibant enim gaudentes* (ut de apostolis dicitur Act. V.) *a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati.* Quamquam longe diversa est ratio inter passionem Christi et nostram. Nostrum est pati, quia natura sumus passibiles, quia peccatis quotidie commeremur, quia servi, quia pro laboribus nostris certum et ingens expectamus præmium. Deo non congruebat pati, et tamen passus est, Dominus pro servo, innocens pro nocente sine spe præmii, etc.

IV. Accendit in nobis spem ac fiduciam. Poteramus quidem antea cogitare Deum, utpote tam longe a conspectu nostro positum, non curare nos et nostra. Sed non modo postquam passus est pro nobis. Primo enim si donatur principale, donatur et accessorium: ut si doneatur equus, donabitur et frænum. Et si vitam Filii sui Deus pro nobis dedit, quid non daturus est ut salvemur? Si nos tantis suis sumptibus liberavit, quomodo denegabit nobis auxilium et opem, quam nunc conferre potest nullo suo sumptu? Si nos fugientes tot modis et viis quæ-sivit, quomodo fugiet quærentes illum? Unde apost. ad Rom. V. ait: *Si cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus, multo magis reconciliati salvi erimus in vita ipsius.* Et si tanta tamque difficilia pro nobis fecit, quis desperet? Quis non omnia potius ab eo speret? Exemplum suæ misericordiæ exhibuit in cruce, offerendo regnum latroni, homini desperatissimo, et jamjam ad inferos tendenti, ut nos ad fiduciam erigeret: velut cum medicus ad ostentendam virtutem theriacæ suæ reum capitis vel canem veneno infectum et jam morti proximum sanat theriaca sua.

In ejusdem rei confirmationem extendit in cruce brachia sua quam latissime, ad nos amplectendos, ut nullatenus diffideremus de ipso, quem cernimus instar nutricis explicare sinum, quantum potest, ut nos ad ipsum secure accuramus, quasi nulla ratione cadere possimus vel a brachiis ejus excidere, juxta id Os. XI. *Ego quasi*

nutritus Ephraim portabam eos in brachiis meis? In quem locum Stephanus ait: « Sicut nutrix ad alliciendum parvulum plene extendit brachia sua, et quantum potest, eum tamen parvula extensione possit eum colligere et amplecti; sic et Christus fecit, etc. » Fecit autem hoc dum modum necessariæ redemptionis maximopere excessit, dum non aliquas tantum sanguinis guttas, sed omnem omnino sanguinem pro nobis effudit, dum non unum, sed innumeros accepit flagrorum ictus, non una in corporis parte, sed toto corpore vulneratus fuit, non in uno tantum, sed in omnibus corporis sui sensibus, nec in uno sed in omnibus bonis, honore, fama, facultatibus, amicis, corpore, anima; non ab uno, sed ab omni hominum genere passus est: ab Herode rege ejusque curia eum deridente, a Pilato judice, eum condemnante, Anna et Caïpha sacerdotibus eum reprobantibus, Scribis et Pharisæis eum accusantibus, militibus comprehendentibus et subsannantibus, carnificibus flagellantibus et crucifigentibus, mulieribus, dæmonibus, discipulis propriis: dum denique non quamvis mortem, sed mortem crucis sustinere voluit. Quando igitur per hanc tam copiosam redemptionem suam adeo extendit manus Christus, quis non speret in illum, et ab illo omnia? Neque etiam ardui quidquam ad salutem in se parandam restat; (non enim rursus pati debet, ut nos salvet) sola applicatio passionis requiritur.

V. Accendit nos ad gratitudinem. Tantum enim est redemptionis beneficium, ut si homines tacerent, teste ipso Salvatore, lapides clamarent. Si enim consideremus quid, quo modo, qua ex causa nobis æquisierit passionem suam Christus, quomodo non gratissimi erimus? Id quod contulit immensum est, uno verbo explicatum a Joanne, capite I. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Et I. Joan. III. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus.* Facti igitur sumus filii Dei, non denominatione tantum extrinseca, sed revera, ut nominemur et simus, ait Joannes, adoptivi scilicet: *Quod si filii et hæredes per Deum,* ait apostolus ad Gal. IV. Si filii Dei, quid metuis? Quid nobis nocere potest? Hanc autem dignitatem habemus per Christum. « Multos Dei filios, (ait S. Augustinus) unicus fecit Dei Filius: sibi acquisivit fratres suo sanguine, approbavit illos cum ipse reprobaretur, redemit eos cum ipse caperetur, manu misit eos cum ipse venderetur, condecoravit illos dum ipse dedecoraretur, resuscitavit eos dum ipse moreretur. » Per passionem Christi sponsæ et membra illius facti sumus, ipse sponsus et caput nostrum. Quod si sponsæ et membra ejus

umus, ergo diliget nos ut sponsus et caput nostrum; ergo omnia sua nobis communicabit bona; ergo ubi est ipse, et nos erimus.

Porro modus quo hæc bona nobis contulit, longe præstantior est ipso dono, quia non per angelum vicarium, sed per seipsum nostræ liberationis opus operatus est: deinde per acerbissimam passionem et totius sanguinis effusionem. Nihil stetit Deo mundi fabricatio, sed redemptio quam plurimum. Et si ob creationem grati esse debemus, quanto magis ob redemptionem? Denique cum maxima charitate, ita ut licet plurima pro nobis passus sit, longe tamen plura pati paratus fuerit, si necessarium fuisset. Tribus horis pro nobis in cruce stetit, sed si opus fuisset libenter in eadem stetisset usque ad diem judicii. Quinque principalia pro nobis accepit vulnera, sed si opus fuisset, quinque millia accepisset. Unam pro nobis dedit animam, sed si mille animas habuisset, omnes pro nobis ponere paratus fuisset. Hoc vero colligimus ex eo, quod ipse dixit: *Solvite templum hoc, Joan. II. corpus suum intelligens; quasi mox id dissolvi cuperet.* Rursum: *Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum, Luc. XXII. et baptismo habeo baptizari, et quomodo coarctor, donec perficiam illum?* Quis autem nescit longe majore gratitudine accipi solere et debere quod magna cum charitate datur? Si pauperi des eleemosynam dicens: Accipe hoc exiguum quod offero et boni consule: si plus mihi suppeteret, plus tibi vellem dare; quam aurea est talis eleemosyna! Quanta gratitudine acceptatur! Sicut e contra quod ægre datur, tametsi multum, insuave tamen est.

Causa fuit mera ejus bonitas, ex qua sola nullis nostris præcedentibus meritis contulit tanta bona: nulla item spe commodi sui aut remunerationis a nobis faciendæ. Imo ne errem, postulat a nobis aliquid mercedis, sed quid illud? Ut hoc suum munus redemptionis acceptemus, et pretio nobis donato salutem æternam comparemus. Hoc unum est quod petiit, et petiit cum in cruce dixit: *Sitio, salutem scilicet animarum redemptarum.* O immensam bonitatem? Quid igitur? Non agnoscemus tantum beneficium, et cum Davide exclamabimus: *Quis ego sum, Domine Deus, quia adduxisti me huc usque?* II. Reg. VII. Non deprecabimus illud, et dicemus cum eodem Ps. LXV. *Venite audite et narrabo omnes, qui timetis Deum, quanta fecit anima meæ?* Non reddemus ei mercedem et potum, quem a nobis petit, salutem nostram?

VI. Accendit ad amorem et studium virtutum; siquidem videmus præeuntem Christum in omni virtutum genere juxta id I. Pet. II. *Christus pas-*

sus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. Exempla autem Christi longe alterius sunt naturæ et conditionis, quam reliquorum sanctorum. Quid enim mirum aut quid magnum est si homo humilis, pauper, obediens, mansuetus et patiens sit? Omnia enim hæc ejus naturæ sunt conformia. Sed Deum et Dominum gloriæ ad hujusmodi opera se demississe, omnem superat admirationem. Unde quanto ipse major est omnibus sanctis, tanto ejus exempla sunt efficaciora exemplis sanctorum hominum.

Modo si homini plebeio vel militi dedecus est non sequi exemplum humile ducis sui; quanto majus dedecus non imitari humiliatum Deum! Artaxerxes Persarum rex, cum prior ipse montosas et arduas, dimoto equo scanderet vias suas, omnes ad exequendum alacres reddebat et expeditos, Plut. teste. Alexander Magnus Tyrum expugnaturus, cum fossam mœnibus Tyri adjacentem expleturus, primum ipse corbem arena refertum apportasset: mox omnes ejus milites, abjectis chlamydibus regem suum secuti, fossam celeriter æquarunt, Polynæus, l. IV. Attila Vincentiam expugnaturus, cum ipse cunctantibus ob aquæ profunditatem et oppidanorum defensionem militibus, primus præcipitem se in fossam demississet, et per aquam mento tenus usque ad murum evasisset, omnes suo exemplo accendit milites, ut idem aggredirentur, Nicolaus Olahus, c. XV. vitæ Attilæ. Si hoc possunt principum exempla, quanto plus valere debent exempla Dei? Ad hæc exempla Christi beneficia etiam sunt nobis collata, quia propter nos et in bonum nostrum tantum edita a Christo, ut illis instrueremur et accenderemur. Non ita sanctorum exempla quæ ipsi propter se potissimum et in bonum suum præstitere. Qui gravi infirmitate detentus, deberet necessario pati venæ incisionem, si vitam conservare vellet, a qua tamen incisione abhorreret; si is videret alium eadem ægritudine detentum præcessisse ad phlebotomiam, deberet haud dubie animari et sequi præcedentem. At si videret ipsamet medicum sanum et incolumem, pati prius in se venæ incisionem, ea sola de causa, ut æger ipse sectionis indigens, eandem pateretur, non multo magis excitari ad hoc deberet? Sancti viri incisiones humilitatis, patientiæ, paupertatis, obedientiæ et similium operum difficilium sibi ipsis necessariis duxerunt, ideo libenter eas amplexi sunt, et per hoc animant nos omnes ad easdem amplectendas. Sed Christus non egebat ejusmodi sectionibus, quia totus erat integer et sanus, et tamen omnes venas suas incidi passus est, omnemque ef-

fudit sanguinem, propter nos humilis, contemptus, pauper, obediens, patiens factus, ut nos, qui talibus remediis egemus ad eadem incitaret. Multo igitur efficaciora sunt exempla Christi cæteris sanctorum exemplis et fortissimi virtutum stimuli: unde sola Christi perfectam exemplaris rationem habet, quia sola ad id ordinata fuit, ut hominibus in exemplum proponeretur, videturque designata per exemplar illud tabernaculi faciendi, quod Moysi Deus in monte monstraverat: *Inspice, ait, et fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est*, Exod. XXV. Inspice, Christiane, Christum in cruce, qui tibi in monte Calvariae ad imitandum est propositus, et fac secundum illum, ne tantis sumptibus ædificatum exemplar frustra paratum sit. Templum Spiritus sancti Christus; templum ejusdem etiam Christianus: inspicere templum illud et ad normam illius ædificari, perpoli, adorna et tuum: ne putes Christum tibi propositum, ut mireris tantum et contempleris, sed ut etiam pro posse imiteris, juxta id: *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita et vos faciatis*, quod nobis donet Deus.

SECUNDA PARS.

QUAS POTISSIMUM VIRTUTES DOCEAT IN PASSIONE SUA CHRISTUS.

I. Docuit humilitatem. — II. Obedientiam. — III. Patientiam. — IV. Mansuetudinem. — V. Charitatem erga proximum. — VI. Mundi contemptum, voluptatum, honorum, divitiarum.

Immensum quidem beneficium contulit nobis Christus, dum cæcatum nostrum intellectum doctrinis suis illustravit; quia tamen non solum cæci eramus, sed etiam claudi, hoc est, infirma et debili voluntate, ideo non solum lumen nobis prætulit, sed etiam scipionem in manus dedit, quo gressus nostros solidaremus. Nisi hoc fecisset, multi dicturi erant, facile esse viam ostendere, sed non item ambulare. Non egit ergo nobiscum Christus, quemadmodum Scribæ et Pharisei, qui subditis *alligabant onera gravia, et digito suo volebant ea movere*, sed quod faciendum jussit, hoc ipse prior fecit et modo eminentiori, v. g. præcepit recumbere in novissimo loco, id ipse in cruce fecit, cum ignominiosissimum occupavit locum in medio latronum, etc. Tametsi vero ejusmodi virtutum exempla toto vitæ suæ decursu nobis præbuit, multo tamen maxime in passione sua, uti nunc videbimus.

I. Docuit humilitatem. Quasi enim parum esset, quod de cælo descendens, exinaniverit se-

metipsum, formam servi accipiens et maxima ir humilitate totam egerit vitam, ad eandem seric exercendam passionis tempore se contulit quando imprimis ad pedes discipulorum suorum se dejicere eosque lavare voluit, fierique minister eorum, quorum erat Dominus et magister. Postmodum ad hortum procedens, in oratione prosternitur ante Patrem, qui *rapinam non arbitratus est, esse se æqualem Deo*. In eadem autem angelo servo suo confortari, et consolationem accipere non est dedignatus, qui alioqui gaudium est angelorum. Nec contentus fieri paulo minor ab angelis, multo etiam minor ab hominibus deinceps fieri non renuit, dum instar latronis a lictoribus quæri, capi, ligari, trahi, velut stultus conspui et velari; ut malefactor flagellari, imo quasi pessimus malefactorum Barabbæ insigni homicidæ velut insignior postponi, et in medio latronum velut dux et antesignanus eorum crucifigi sustinuit, qui tamen innumeris hominibus auctor salutis et vitæ fuit: dum denique is, qui mira mirorum patrare et virtutem ac divinitatis suæ majestatem declarare poterat, et vel apud Herodem solum cupientem videre aliquod ejus signum, uno miraculo se liberare gratiæque ejus insinuare poterat, nihil horum fecit, sed virtutem omnem ac sapientiam suam abscondit, quasi inscius nihil respondit, quasi impotens nihil fecit. Magna Christi humilitas fuit, quod usque ad triginta annos nullo miraculo se prodidit; sed ibi tamen necdum occasio dabatur. Nunc vero in tantis occasionebus abstinet.

Quis ergo hæc considerans non amplectatur obviiis ulnis humilitatem? Quid enim magnum est, si rex vel princeps ponat in templo genua sua, coronam et ornatum suum, cum id fecerit Dei Filius ante Patrem suum? Quid magnum, si dominus exhibeat obsequium aliquod servo suo; si ægrum visitet, consoletur, pascat, etc. cum id fecerit Dominus gloriæ servulis suis? Quid magnum, si ab eodem acceptet salutare consilium, fidelem admonitionem, etc. cum ab angelo consolationem acceperit Dei Filius? Quid magnum, si ab hominibus vilipendaris et contemnaris, opprobriis et detractionibus impetaris, pejor atque insipientior omnibus venditeris et inferioribus postponaris, cum Christus latronibus pejor sit habitus et stulto similis? Quid magnum si tuas virtutes abscondas coram hominibus, cum id multo excellentius fecerit Christus? Quis tu respectu Dei? Parum est, si agaso agasonem juvet in erigendo jumento, extrahendo e luto: sed si rex eum juvet, (quod fecisse legitur Alphonsus rex Aragonum) illud

mirum est. Pari modo nihil est, si homo humilietur: multo vere maximum, si Deus.

II. Obedientiam, nam imprimis in re difficillima factus est Patri obediens usque ad mortem crucis, nulla coactione sed mera sua voluntate: *Oblatus est, quia voluit*. Et ideo ipse sibi crucem portavit ad locum supplicii, instar Isaac illius patientis sibi imponi a patre fascem lignorum ad sui holocaustum, et instar cameli seipsum demittentis in genua ad onus suscipiendum. Deinde obedivit plene, adamussim omnia perficiendo, quæ scripta erant de illo, eique a Patre injuncta, ita ut prius mori nollet, quam dicere posset: *Consummata est*. Sciens enim quia omnia jam consummata sunt ut consummaretur Scriptura, dixit: *Sitio*, ait S. Joannes. c. XIX. q. d. adhuc unus obedientiæ actus in Scriptura prædictus supererat, potatio scilicet fellis: qua completa demum dicere potuit, *Consummatum est*. Ad hæc obedivit promptissime, siquidem instar oviculæ ipsemet ivit ad locum macelli, ad montem Oliveti, quem locum sciebat Judæ cognitum et opportunum suæ captioni. Obedivit etiam constanter et usque ad mortem, quia et obediendo mortuus est et moriendo obedivit. Obedivit denique universaliter, quia non Dei tantum, sed hominum etiam licet pessimorum voluntati se subiecit, dum ab iis se ligari, velari, de judice ad judicem, de platea in plateam, de supplicio ad supplicium trahi: dum sibi corpus ad crucem aptari, dum denique a Pilato, nullum licet in se jus habente, tradi se voluntati Judæorum passus est.

Perpende hanc obedientiam, et vide, num aliquam excusationem habeas, cur tu obedire non debeas parentibus, dominis, præceptoribus et Ecclesiæ pastoribus et magistratibus. Tametsi enim quid asperum jubent aliquando, numquid præcipiunt ut crucem ascendas? Et si magistratus jubeat reum ascendere ad patibulum vel aliam pœnam subire, numquid id præcipit ob alienam culpam et non potius ob propriam? Et si multa sunt quæ tibi injunguntur, plura injuncta fuere Christo, quæ omnia adamussim perfecit. Et si mali et iniqui sunt qui tibi præsent: numquid pejores sunt Judæis et carnificibus Christum pro libidine sua vexantibus? Et quis tu cum Filio Dei comparatus?

III. Patientiam, quam ut præcipue intentam in tota passione mirabiliter exercuit et velut nuptialem vestem toto hoc nuptiarum tempore, quo sibi Ecclesiam in cruce desponsavit, nunquam deposuit, sed perpetuo inter tot cruciatuum et tormentorum genera tenacissime retinuit. Multa excogitaverat Satanas, ut a S. Job

verbum aliquod impatientiæ exprimeret, multas ei infligit plagas, nec tamen effecit aliquid; sed longe plures et graviore excogitavit et infligit Christo ut vel unum impatientiæ gry eliceret; percussit enim Christum in omnibus bonis et membris, injuriam super injuriam, pœnam super pœnam accumulavit: frustra tamen laboravit. Acutæ fuerunt spinæ capiti impressæ, haud dubie a diabolo primum excogitatæ: sed longe acutiores fuerunt falsæ accusationes et calumniæ, quas merito refellere poterat Christus: eas tamen ita per patientiam et silentium toleravit, *ut miraretur præses vehementer*, Matthæi XXVII. Homines etiam fortissimi, qui verbera sciunt tolerare, contumelias non possunt et calumnias. Quam acuta etiam tela fuerunt illusiones, irrisiones et contemptus, quos sustinuit in domo Herodis ab ipso et toto ejus exercitu? Et tamen rex cum toto illo agmine et tam acuto bellandi genere, non prævaluit contra illum, ut vel unum verbum ab eo exprimeret. Stabant coram Herode principes sacerdotum et Scribæ *constanter accusantes eum*, ait Luc. XXIII. At ipse constanter tacebat. Quam acuta fuit contumelia, qua eum affectit improbus latro? Quam acuta opprobria illa et provocaciones principum et militum sub cruce: *Si Filius Dei est, descendat nunc de cruce, etc.* At ipse nihil respondebat: multo minus de ultione cogitabat, aut miraculum aliquod ad sui ultionem faciebat. O invictam patientiam! O miraculum omnium maximum! Vere hic de Christo dici debet, quod senior quidam apud Cassianum, injuriis agitatus a plebe Alexandrina. Cum enim ei objicerent: *Ecquæ mira Christus præter naturæ modum fecisset? Hæc, inquit, quod ego conviciis et injuriis vestris lacessitus ad indignationem non movear*. Quanto vero majus hoc fuit miraculum in Christo, qui tam dire exagitatus, tam facile potuisset hostes suos perdere, et tamen ne minimum quidem commotus est! Tota synagoga, totus infernus simul in eum fecit impetum ut ad impatientiam aut iram vel tantillum eum provocarent: sed frustra. Quam ergo confunditur hic nostra superbia, quæ nec unius quidem hominis irrisionem aut contemptum sustinere potest, nedum integri alicujus exercitus!

Præclare S. Augustinus, serm. XVIII. in Matth. ait: « Dicit Christus homini ægro: Bibe calicem tentationum et tribulationum ut saneris et vivas. Et ne responderet ei languidus: Non possum, non fero, non bibo; prior bibit medicus sanus, ut bibere non dubitaret ægrotus. Quid enim amarum est in tali poculo, quod ille non biberit? Si contumelia; prior audivit, cum dæmones expel-